

v. 10. ut transferatur Regnum de domo Saül, & elevelur thronus David super Israë, & super Judam, à Dan usque Ber-fabee. & 17. v. 11. Chufai dicit ad Absalom: Congregentur ad te universus Israë à Dan usque Ber-fabee. Vide Lais. Propè Ber-fabee erat solitudo, in qua errabat Agar ab Abrahamo emissa cum filio suo Ismaël, Genes. 21. v. 14. Erat & Nemus quod plantavit Abraham: Erat & Puteus, quem foderat, & quem ipsi reddidit Abimelech, increpavitque servos suos, quod vi eum abstulissent; tum & Abraham, & Abimelech percusserunt ambo foedus, ideoque vocatus est locus ille Ber-fabee, i. Puteus juramenti Genes. 21. Ber-fabee autem, & Sabee, & Basiothia mihi varia sunt unius, ejusdemque loci nomina. Vide Animadv.

Ber-fabee aliàs Ber-sobe locus in utriusque Galilææ finibus, Josephus, in vita sua & alibi.

Berythus, urbs celebris, & colonia Romanorum in littore Phœnicia. Joseph 7. Bell. 20. In cujus concilio ad id congregato, Herodes contra filios, quos ad necem expetebat, multa ferociter criminatus est, idem 17. Antiq. 13. In 1. Bell. 16. Berythum ait multis esse ornatum ædificiis ab Herode.

Besara, Josepho in vita sua, locus est in confiniis Ptolemaidis, 20. à Gaba stadiis.

Besor Torrens, in Tribuum Simeonis & Judæ finibus, qua in Desertum iter est. Hunc transiit David, cum Amalecitas, qui Siceleg incenderant, persequeretur: Videturque aliquando dici Ægypti Torrens.

Beth-acad, & Beth-agum loca non longè à Jezraël, & à Vinea Naboth. Sed nomina hæc vulgata lectio aliter interpretatur.

Beth-abara sic legendum ex Joann. 1. v. 28. ubi vulgata lectio habet Bethania. Hæc in Beth-abara (non Bethania) facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptifans, & ubi Joannes de Christo Filio Dei, & de se voce clamantis in deserto testimonium dedit.

Bethacara 2. Esdræ 3. v. 14. Et portam sterquiliniæ ædificavit Melchias filius Rechab princeps vici Beth-acaran. Beth-acarem legit Jeremias 6. v. 1.

Beth-agla secunda numeratur inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin; eaque inter Jericho, & vallem Cassis, Josue 18. v. 21. nec longè à finibus Tribus Judæ.

Beth-agun V. Beth-acad.

Beth-anath urbs inter munitissimas Tribus Nephthalim. Josue 19. v. 38. & Judic. 1. v. 33. Nephthali quoque non delevit habitatores Beth-fames, & Beth-anath; & habitavit inter Chananæum habitatorem Terræ, fueruntque ei (Tribui Nephthali) Beth-samitæ & Beth-anitæ tributarii.

Beth-anoth quinta recensetur inter sex urbes Regionis, five partis nonæ Tribus Juda, eaque inter Mareth, & Elthecon. Josue 15. v. 59.

Beth-araba, quarta describitur inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin. Josue 18. v. 22. eademque descripta fuerat in Tribu Juda 15. v. 61. ubi in deserto dicitur. Est ergo locus communis duabus Tribus Benjamin, & Judæ: forsitanque Beth-bessen eadem erit. 1. Machab. 9. v. 62. 64. quæ etiam dicitur in deserto.

Beth-aramphta. Vide Julias.

Beth-aran Josue 13. v. 27. In valle quoque Beth-aran, & Beth-nemra &c. in descriptione Tribus Gad. anteaque Numer. 32. v. 34. Extruxerunt filii Gad... v. 36. & Beth-nemra, & Beth-aran, urbes munitas. Eadem mihi est atque Betharamphta, quæ postea Julias.

Beth-aven, in Tribu Benjamin, ubi Solitudo Beth-aven. Iosue 18.

| Latit.<br>Gr. Scr. | Longit.<br>Gr. Scr. |
|--------------------|---------------------|
| 32. 49.            | 67. 4.              |
| 34. 0.             | 65. 40.             |
| 32. 51.            | 66. 52.             |
| 31. 10.            | 65. 30.             |
| 32. 25.            | 66. 51.             |
| 32. 42.            | 67. 17.             |
| 31. 37.            | 66. 37½             |
| 31. 32.            | 67. 4.              |
| 32. 27.            | 66. 46.             |
| 32. 57.            | 67. 33.             |
| 31. 41.            | 66. 26.             |
| 31. 28.            | 66. 57.             |
| 32. 4.             | 67. 26.             |
| 32. 7½             | 67. 27.             |
| 31. 45½            | 67. 2½              |